20

OFFICIVM DE NOMINE BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ DVPLEX.

AD VESPERAS,

Antiphona.

MIssus est Angelus Gábriel ad Vírginem desponsátam Ioseph, & nomen Vírginis María. Psalm. Dixit Dóminus, & reliqui cõsueti de sancta Maria, vt in eius Officio paruo.

Antiph. A Solis ortu vsque ad occásum, laudábile nomen Dómini, & Maríæ matris eius.

Antiph. Aue María, grátia plena: Dóminus tecum: Benedícta tu in muliéribus.

Antiph. Permáneat & magnificétur nomen tuum vsque in sempitérnum, ò María.

Antiph. Lauda Ierúsalem Dóminum, lauda ínclytum nomen Maríæ.

Capitulum. Iudith. 13.c.

BEnedícta es tu filia à Dómino Deo excélso, præ ómnibus muliéribus super terram: quia hódie nomen tuum ita magnificáuit, vt non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

Hym. Aue maris stella.

℣. Sit nomen Dóminæ benedíctum. ℟. Ex hoc nunc & vsque in sæculum.


Ad Magnificat, Antiph.

Maríæ nomen cunctas illústrat Ecclésias, cui fecit magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Oratio.

DEus, qui gloriósam matrem tuam nominári Maríam voluísti: concéde quæsumus, vt, qui dulce eiúsdem Maríæ nomen implórant, perpétuum séntiant tuæ benedictiónis effectum. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitáte.

Ad complet. & alias Horas, in fine dicitur.

Iesu tibi sit gloria, qui natus es de Vírgine.



20

AD MATVTINVM.
Inuitatorium.

Aue Maria, grátia plena: Dóminus tecum.
Psalm. Venite, exultémus.
Hymn. Quem terra, pontus, sídera.

IN I. NOCTVRNO.

Antiph. In vniuérsa terra admirábile est nomen tuum, María.
Psalm. Dómine Dóminus noster. cum reliquis, vt in eius Officio paruo.
Antiph. In omnem terram diffúsa est laus nóminis Maríæ.
Psalm. Cæli enárrant.
Antiphona. Super mária & flúmina fundáuit Maríam, & dedit illi nomen virtútum Rex glóriæ.
Psalm. Dómini est terra.
℣. Magnificáte Maríam Vírginem mecum.
℟. Et exaltémus nomen eius in ætérnum.
Pater noster.
Absolutio. Exáudi Dómine.
℣. Iube domne.
Benedictio. Benedictióne perpétua.

De libro Exodi.
Lectio j. Cap. 15. c.

SVmpsit María Prophetíssa, soror Aaron, tympanũ in manu sua: egressǽque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus præcinébat, dicens: Cantémus Dómino, gloriósè enim magnificátus est, equum & ascensórem eius deiécit in mare. Tu autem Dómine.
℟. Laudémus nomen sacrum, atque insígne Maríæ, * Mundo nam péperit Virgo salútis opem.
℣. Læténtur cæli de tali nómine, & orbis. Mundo.
Benedict. Vnigénitus Dei.

Lectio ij.

TVlit autem Móyses Israël de Mari rubro, & egréssi sunt in desértum Sur: ambulauerúntque tribus diébus per solitúdinem, & non inueniébant aquam. Et venérunt in Mara, nec póterant bíbere aquas de Mara, eò quòd essent amáræ: vnde & cóngruum loco nomen impósuit, vocans illum Mara, id est, amaritúdinem. Tu autem.
℟. Benedíctum sit nomen Maríæ, * Cuius manus tornátiles plenæ hyacinthis.
℣. Implorántibus Maríæ nomen, María præsto adest. Cuius manus.
Benedict. Spíritus Sancti grátia.

Lectio iij.

ET murmuráuit pópulus contra Móysen, dicens: Quid bibémus? At ille clamáuit ad

Dóminum, qui osténdit ei lignum: quod cùm misísset in aquas, in dulcédinem versę sunt. Ibi constituit ei præcépta, atque iudícia, & ibi tentáuit eum, dicens: Si audíeris vocem Dómini Dei tui, & quod rectum est coram eo féceris, & obedíeris mandátis eius, custodierísque ómnia præcépta illíus, cunctum languórem, quem pósui in Ægypto, non indúcam super te: ego enim Dóminus sanátor tuus. Tu autem Dómine.

℟. Salutémus Maríam, pro nobis Fílium exorántem, * Et illi dicámus: Aue María, grátia plena: Dóminus tecum.

℣. Hæc est Gedeónis vellus, quę leuíssima oratiónis compressióne, larga éxhibet gratiárum stillicídia. Et illi. Glória Patri. Et illi.

IN II. NOCTVRNO.

Antiphona.

Speciósum Maríæ nomen deprecabúntur omnes diuites plebis, cuius decórem concupíuit Rex.

Psalmus. Eructáuit cor meum.

Antiphona. Refúgium est in tribulatiónibus Maríæ nomen, ómnibus illud inuocántibus.

Psalmus. Deus noster refúgium.

Antiphona. María ciuitas Dei sancta, gloriósa dicta sunt de nómine sancto tuo.

Psalmus. Fundaménta eius.

℣. Repleátur os meum laude Maríæ.

℟. Vt cantem glóriam nómini sancto eius.

Pater noster.

Absolut. Ipsíus píetas.

℣. Iube domne.

Benedictio. Deus Pater omnípotens.

De Sermóne sancti Epiphánij Epíscopi.

Lectio iv.

Habetur apud Laurent. Surium tom. 6 de vit. Sanctorum sub die 8. Decemb.

Beata Anna grauida effécta, cælum & thronum Cherúbicum péperit sanctam puéllam Maríam: illa enim repéritur esse cælum, templum, & thronus: quia Maríam interpretári solémus Dóminam, atq; étiam spem. Péperit enim Dóminum, qui est spes totíus mundi, nempe Christum. Rursum, nomen illud, María, interpretátur, myrrha maris: myrrham verò dicet áliquis (quòd egò étiam ajo) de immortalitáte, eò quòd paritúra esset gemmam immortálem in mari, hoc est in mundo. Mare autem dicet vniuérsum mundum, cui Virgo serenitátem & tranquillitátem

cóntulit, dum portum péperit Christum. Tu autem.

℟. Benedícta tu à Dómino Deo tuo in omni tabernáculo Iacob, * Quóniam in omni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus. ℣. Tu glória Ierúsalem, tu lætítia Israel, tu María honorificéntia pópuli nostri. Quóniam. Benedíctio. Christus perpétuę.

Lectio v.

Rursum itaq; præclaræ puéllæ Maríæ beátum nomen interpretatur illustráta, vtpote quæ illustráta sit à Fílio Dei, & cunctos vsq; ad términos terræ credéntes Trinitáti illumináuerit. Sancta enim puélla virgo María est sponsa Trinitátis, & thesáurus dispensatiónis planè arcánus, cui Gabriel inquit: Aue grátia plena, Dóminus tecum. subiunxit Gábriel: Et pater misit arrhabónem de cælo Spíritum sanctum, præparáuit vírginem vnigénito Filio, cælésti sponso, quam Pater diléxit, Filius inhabitáuit, Spíritus sanctus percupiuit. Tu autem.

℟. Mélius est nomen bonum, quám diuítiæ multæ. * Turris fortíssima Maríæ nomen. ℣. Propugnáculũ est ómnibus, qui ad illud cõfúgiunt. Turris. Benedíctio. Ignem sui amóris.

Lectio vj.

Ipsa est enim sponsa, & thálamus: & ex ea Sponsus procédit Christus virgíneum induméntum iuxta suáuem Dáuidis Prophétæ cantiónem: In sole pósuit tabernáculum suum, & ipse tamquã sponsus procedens de thálamo suo. O sponsi desidérium summæ puritátis, própriam ancillam propensióre affectu constítuit sponsam, & matrem. Tu autem Dómine.

℟. Nomen sanctum meum notum fáciam in médio pópuli mei. * Et scient quia ego María. ℣. Delíciæ meæ esse cum filijs hóminum. Et scient. Glória Patri. Et scient.

IN III. NOCTVRNO.

Antiphona.

Nuntiáte inter Gentes glóriã Maríæ, in ómnibus pópulis mirabília nóminis eius.

Psalmus. Cantáte. j.

Antiphona. Annuntiauérunt cæli nomen Maríæ: & vidérunt omnes pópuli glóriam eius.

Psalmus. Dóminus regnáuit, exúltet.

Antiphona. Notum fecit Dóminus sacrum Maríæ nomen, & in conspéctu Géntium reueláuit virtútem nóminis eius.

Psalmus. Cantáte. ij.

℣. Aue María, grátia plena. ℟. Dóminus tecum.

Pater

P ater noster.
Absolutio. A vínculis peccatórum.
℣. Iube domne.
Benedictio Euangélica léctio.
L éctio sancti Euangélij secúndùm Lucam.
Lectio vij. Cap. 1. c.
IN illo témpore: Missus est Angelus Gábriel à Deo in ciuitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen vírginis María. Et réliqua.
Homilía sancti Bernárdi Abbátis.
Homilia 2. super Missus est, in fine.
ET nomen, inquit, vírginis María. Loquámur pauca & super hoc nómine, quod interpretátum, maris stella dícitur, & matri Vírgini valdè conueniénter aptátur. Ipsa namque aptíssimè síderi cōparátur: quia sicut sine sui corruptióne, sidus suum emíttit rádium, sic absque sui læsióne, Virgo párturit Fílium. Nec síderi, rádius suam mínuit claritátem, nec Vírgini Fílius suam integritátem. Ipsa est ígitur nóbilis illa stella ex Iacob orta, cuius rádius vniuérsum orbem illúminat; cuius splēdor, & præfúlget in supérnis, & ínferos pénetrat, terras étiam perlústrans, & calefáciens magis mentes, quàm córpora; fouet virtútes, éxcoquit vítia. Ipsa, inquam, est præclára, & exímia stella, super hoc mare magnum & spatiósum necessário subleuáta, micans méritis, illústrans exémplis. Tu autem Dómine.
℟. Claríssimum Maríæ nomen; ipsa stella est prǽfúlgens: * P eccatóres illúminat, & dírigit in portum salútis. ℣. Consolátur tristes, míseros leuat, & iacéntes érigit. P eccatóres.
Benedictio. Cuius festum cólimus: ipsa Virgo vírginum.
Lectio viij.
O Quísquis te intélligis in huius sǽculi proflúuio magis inter procéllas, & tempestátes fluctuáre, quàm per terram ambuláre, ne auértas óculos à fulgóre huius síderis, si non vis óbrui procéllis. Si insúrgant vēti tentatiónum, si incúrras scópulos tribulatiónum, réspice stellam, voca Maríam. Si iactáris supérbiæ vndis, si ambitiónis, si detractiónis, si æmulatiónis, réspice stellam, voca María̧m. Si iracúndia, aut auarítia, aut carnis illécebra nauículam concússerit mentis, réspice ad Maríam. Si críminum immanitáte turbátus, consciéntiæ fœditáte confúsus, iudícij horróre pertérritus bárathro incípias absorbéri tri-

ſtítiæ, deſperatiónis abyſſo; cógita Maríam. Tu autem.
℟. Omnia flúmina intrant in mare,& ipſum non redúndat.* Omnia gratiárum chariſmata in Maríam, & ipſa non intuméſcit. ℣. Dixit illi Angelus: Aue grátia plena. At ipſa reſpondit: Ecce ancilla Dómini. Omnia gratiárum. Glória Patri. Omnia gratiárum.

Benedíctio. Ad ſocietátem.

Lectio ix.

IN perículis, in angúſtijs, in rebus dúbijs Maríam cógita, Maríam ínuoca. Non recédat ab ore, non recédat à corde: & vt ímpetres eius oratiónis ſuffrágium, non déſeras conuerſatiónis exémplum. Ipſam ſequens, non déuias: ipſam rogans, non deſpéras: ipſam cógitans, non erras: ipſa tenénte non córruis: ipſa protegénte, non métuis: ipſa duce, non fatigáris: ipſa propítia, péruenis: & ſic in temetipſo experíris quàm méritò dictũ ſit: Et nomen vírginis María. Tu autem.

Te Deum laudámus.

AD LAVDES.

Antiphona.

MIrábiles elatiónes maris, ſed mirabílior in nómine Maríæ Dóminus.

Pſalmus. Dóminus regnáuit. cum reliquis de Dominica.

Antiphona. Laudáte in exultatióne Maríæ nomen, quóniam ſuáue eſt.

Antiphona. Lábia mea laudábunt te, ò María, quia dulce eſt nomen tuum ſuper mel ori meo

Antiphona. Spíritus, & ánimæ iuſtórum, benedícant Maríam in nómine ſancto eius.

Antiphona. Beneplácitum eſt Dómino in nómine Maríæ, in quo exaltáuit manſuétos in ſalútem.

Capitulum. Iudith. 13. c.

BEnedícta es tu filia à Dómino Deo excélſo, præ ómnibus muliéribus ſuper terram: quia hódie nomen tuum ita magnificáuit, vt non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

Hymnus. O Glorióſa Virginũ.

℣. Lætábor, & exultábo in te, María. ℟. Pſalmum dicam nómini tuo.

Ad Benedíctus, Antiphona.

Benedíctus Deus, qui Maríæ vírgini lucis nomen donáuit, vt illumináret eos qui in ténebris ſedent: & vt ſtella maris errántes dírigeret in portum pacis.

Oratio.

DEus, qui glorióſam matrem tuam nominári Maríam voluíſti concéde, quæſumus, vt, qui dulce eiúſdem Ma-

ríæ nomen implórant, perpétuū séntiant tuæ benedictiónis efféctum. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitáte.

Ad Primam in ℟. breui dicitur ℣. Qui natus est de María vírgine.

Ad Tertiam Antiph. Laudáte.

Capitulum. Iudith. 13. c.

BEnedícta es tu filia à Dómino Deo excélso, prę ómnibus muliéribus super terram: quia hódie nomen tuum ita magnificáuit, vt non recédat laus tua de ore hóminum, qui memores fúerint virtútis Dómini in æternum. ℟. br. Magnificáte * Maríam vírginem mecum. Magnificáte. ℣. Et exaltémus nomen eius in ætérnum. Maríam vírginem. Glória Patri. Magnificáte.

℣. Repleátur os meum laude Maríæ. ℟. Vt cantem glóriam nómini sancto eius.

Ad Sextam Antiphona. Lábia mea.

Capitulum. Iudith. 13. d.

BEnedícta tu à Deo tuo in omni tabernáculo Iacob, quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum magnificábitur super te Deus Israel. ℟. br. Repleátur os meū * Laude Maríæ. Repleátur. ℣. Vt cantem glóriam nómini sancto eius. Laude. Gloria Patri. Repleátur.

℣. Aue María, grátia plena. ℟. Dóminus tecum.

Ad Nonam, Antiphona. Beneplácitum est Dómino.


Capitulum. Ezech. 16. b.

EGréssum est nomen tuum in Gentes propter spéciem tuam: quia pérfécta eras in decóre meo, quem posúeram super te, dicit Dóminus Deus. ℟. br. Aue María, * Grátia plena. Aue. ℣. Dóminus tecū. Grátia plena. Glória. Aue María.

℣. Lætábor, & exultábo in te, María ℟. Psalmum dicam nómini tuo.

In secundis Vesperis omnia dicuntur sicut in primis.

Ad Magnificat, Antiphona. María virgo ómnium óculis gratiosa, nominátum est nomen glóriæ eius vsque in extrémum terræ.



MISSA

MISSA
DE NOMINE
SANCTISSIMÆ
VIRGINIS MARIAE
INTROITVS.

VVLTVM tuum deprecabúntur omnes díuites plebis &c. vt in Missis votiuis de B. V. Maria.

Oratio Deus qui gloriósã Matrem tuam &c. vt supra in officio &c.

Epistola. Ego quasi vitis fructificáui, &c. vt in festo B. V. Mariæ de monte Carmelo.

Graduale Benedicta, & Venerábilis es Virgo María &c. versus 1. Virgo Dei Génitrix &c. versus. 2. Tu glória Ierúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. Allelúia.

Euangelium Missus est Angelus &c. vt in festo Annunciationis B. M. Virginis.

Offertorium Aue María grátia plena &c.

Secreta Tua Dómine propitiatióne &c.

Commun. Beáta víscera Maríæ Vírginis. &c.

Postcommunio. Sumptis Dómine, salútis nostræ subsídijs &c. vt in eadem missa Votiua. &c.

ROMÆ, Typis Philippi Mariȩ Mancini
M. DC. LXVI.

Superiorum permissu.